

Et sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, àndito Commissionis liturgicae suffragio omnibusque sedulo perpensis, ita respondendum; censuit:

Ad I. Affirmative iuxta plura decreta.

Ad II. Unctio chrismatis, in modum crucis, fiat in fronte, seu in medio spissitudinis anterioris mensae.

Atque ita rescripsit, die 6. Novembris 1908.

S. CARD. CHETONI, *Praefectus.*

L. **S** S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

III.

ROMANA

Nuper expostularunt! est a sacra Rituum Congregatione: an lampades, quae ardere debent ante altare et tabernaculum in quo asservatur sanctissimum Eucharistiae sacramentum, nutrir possint ex cera apum, saltem in maxima parte, quae adhibetur in candelis praescriptis ad Missae celebrationem, iuxta mentem decreti S. R. C. *Plurium dioecesium* diei 14 Decembris 1904.

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita Commissionis liturgicae sententia, omnibus accurate perpensis proposito dubio ita respondendum censuit: In defectu olei tolerari posse, et remittendum esse prudentiae Episcopi, iuxta decretum n. 3121 *Plurium dioecesium* 14 Iulii 1864.

Atque ita rescripsit, die 27 Novembris 1908.

S. CARD. CHETONI, *Praefectus.*

L. © S.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

IV.

INSTRUCTIO

PRO EDITORIBUS LIBRORUM LITURGICORUM CUM CANTU GREGORIANO.

Quo tutius pleniusque possit obtineri in sacra liturgia etiam quoad cantum optanda uniformitas, merito statutum est, ut, in iis etiam quae ad singula ecclesiarum Propria pertinent, eidem Officio vel Missae eadem regulariter adoptetur melodia, ac proinde ut ante approbationem a sacra

Rituum Congregatione rite petendam, iisdem revisoribus cuncta subiiciantur, quatenus illi testari possint non tantum de servatis artis gregorianaee regulis, sed etiam de constante melodiarum ea, quaje requiritur unitate. Die 27 Novembris 1908. ,

S. CARD. CRETTONI, *Praefectus.*

L. fß S.

-j- D. Panici," Archiep. Laödicen., *Secretarius.*

DECRETUM

Instaurato, ad pristina gerenda munera, tribunali sacrae Rotae Romanae per Constitutionem Apostolicam 'Sapienti consilio die 29 Iunii huius labentis anni 1908, ac proinde revocatis, iuxta 'decretum seu declarationem sacrae Congregationis Consistorialis diei 27 Novembris nuper elapsi, peculiariibus dispositionibus dd, 23 Octobris 1^78 et 19 Decembris 19Q5, quibus demandatum fuerat Rmis Praelatis Auditoribus officium discutiendi ac iudicandi, in comitiis sacrorum Rituum Congregationis ordinariis Rotalibus, causas minoris momenti Servorum Dei, nempe de fama* sanctitatis in genere, de non cultu, de validitate ac relevantia processuum aliasque similes, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente infrascripto Cardinali sacrae Rituum Congregationi Praefecto, ad easdem Causas per tractandas Congregationem particulare-hi constituere dignatus est, quam constare voluit ex aliquot Emis ac Rmis Patribus sacris tuendis Ritibus praepositis, nempe Praefecto, Ponente aliisque quinque a sacra Rituum Congregatione designandis, nec non ex Rmis Praelatis officialibus ipsius sacrae Congregationis, nempe Protonotarii) Apostolico, Secretario, Promotore fidei ac Subpromotore. Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

Die 9 Decembris 1908.

S. CARD. CRETTONI, *Praefectus.*

L. © S.

f D. Panici, Archiep. Laodieen., *Secretarius.*